

Brutios, usque ad belli exitum, Hannibali adhæsisse. Si hoc non est antilogiam scribere, erit certe palinodiam canere. Quum ergo Appianus, parum aut nihil sibi constans, vel ea scribat, quæ postmodum volens nolens retractat; vel ea retractet, quæ primitus inconsiderate scripserat; merito a Sigonio notatur, *multis in rebus levis*; ut dictum est; & a Joanne Bodino dicitur: *Non Appiano, de Romanis scribenti, ubique assentior, cum in eorum antiquitate sapissime offendat.*

Apage proinde putida fabella, quam de Consentia caducæ fidei homines ineptissime excogitarunt; eam scilicet, urbem inter Brutios præclarissimam, illo nomine fuisse dictam, quia ex communi civium consensu Hannibali se tradidit; ut apud Martyre, Marafioti, aliosque, scriptum legimus. Etenim a principio Bretiam dictam volunt a Bretio, Herculis filio, a quo ædificatam dicunt; quanvis alii antiquiorem ei originem adscribant, asserentes, ab Aufoniis, & ab Oenotriis, primitus fuisse, sub alio nomine, ædificatam. Auctam postmodum asserunt a Lucanis, a quibus Consentia nomen accepit; quatenus, communi omnium illorum consensu, ibi suum figere domicilium constituerunt.

Audiantur Scriptorum, & præ cæteris Tideus Acciarini, in annot., apud Flore, in *Consentia: Brettius, Herculis filius, ex Baletia puella, Brettiam condidit; Urbem, a qua omnes populi a Leo fluvio usque ad flumen Albem, dicti sunt Brettii*. Alciatus in numismat., apud eundem Flore: *Brettius, quem e Baletia Nymphea Hercules generavit, Brettiam civitatem condidit, a qua omnes populi, usque ad fretum Siculum, dicti sunt Brettii*. Stephanus de urbibus, apud eundem: *Brettium urbs*
Bret-